



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt XXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**



*Ex quibus verbis patet in Hunonis curia Canonicos aliquandiu resedisse: quibus amotis Benedictini demum successerunt, qui hodieq; locum istum possident.*

*De SS. Pollina & Valeria virginibus, itemq; S. Liefardo, quorum reliquiæ hîc olim quieuerunt, vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.*

## CAPVT XXXII.

*S. Maria ad Martyres monasterium, apud urbem Treuerensem.*

**H**abet id nomen à SS. Martyribus Thebæis, eò loci anno 291. trucidatis, fuitque olim Regum Gallix palatium, quòd in basilicam Deiparæ conuersum est anno circiter 380. à Felice Treuerensi Episcopo. Idem postea conuersum est in monasterium anno circiter 674. à S. VVilibrordo Vltraiectensi Archiepiscopo Gallix Belgicæ Apostolo. In hoc monasterio adseruatur altare portatile S. VVilibrordi quod vir Dei circumferre solitum est, cùm Batauiam ac Frisiam, Euangelium prædicans peragret. Monasterium istud à Normannis anno circiter 696. vastatum, Theodericus & Egbertus Archiepiscopi Treuerenses instaurarunt. Ita ferè Bruschius.

694.



*Cella monachorum, hodie Ethonis monasterium.*

700.

**I**D situm est ad Nigram siluam prope Kentzingum, non procul à Rheno, fundatum, que anno circiter Christi 700. à *Vigero* vel *Vvingerno* monacho, postea Argentinensi Episcopo Anno 734. renouatum est auctumque ab *Ethone* Comite Haspurgico, qui eiusdem loci primus Abbas fuit, ac demum Argentinensis Episcopus: à quo Ethonis monasterium hodieque dicitur: vnde & versus isti nati.

*Anno ter deno septingentesimo quarto, Antistes claustrum renouando condidit Etho.*

## CAPVT. XXXIII.

## EPTERNACENSE

*S. Vuillibrordi monasterium, in Ducatu Luceburgensi, tertio à Treueris milliari.*

**E**Pternacum apud Leucos ( à quibus Luceburgenses, seu Leuceburgenses nomen traxisse videntur ) vetustum est opidum, quod originem ac florem suum debet illustri huic cœnobio per B. V Villibrordum, Batauorum ac Frisorum Apostolum, à fundamentis excitato. Porro Epternacensis agri medietatem vnam

Pipi-